Quelle: https://manuscripta.at/?ID=908
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

sed cum ingenti tremore de-
bemus attendere. Invitati e-
nim sumus ad nuptias: u-
bi nos ipsi si bene agimus
sponsa erimus. Cogitemus
ad quales nuptias: con-
sideremus ad quale sponsum
vel ad quale convivium invi-
tati sumus. Invitati enim
sumus ad mensam ubi non inve-
nitur cibus hominum, sed panis
pontificum angelorum: et ideo vi-
deamus ne forte intus in anima
ubi debemus bonorum operum
margaritis ornari, ibi
appareamus vitiorum pannis
vestibus involuti. et quemadmodum eos
qui boni sunt in oculis dei
castitas reddit candidos:
tunc eos qui mali sunt
reddat luxuria sordidatos.
Et ideo quotienscumque aut
dies natalis domini aut re-
liquae festivitates adve-
niunt, sicut frequenter am-
monui, ab omni iracun-
dia vos alienos efficite:
ut peccata preterita per elemosi-
nam et penitentiam rediman-
tur. Contra nullum hominem
odium in corde teneatis.
quod solebat impietas
per gulam perdere: incipiat
iustitia per misericordiam paupe-
ribus erogare. Quod luxuria
vel gula dissipavit in mun-
do: pietas reponat in ce-
lo. Et licet hoc expediat
ut semper elemosinas fa-
cere debeamus: precipue ta-
men in sanctis sollempnita-
tibus secundum vires nostras
abundantius erogare de-
bemus. pauperes ante omnia
frequentius ad convivium re-
vocemus. Non est enim iu-
stum, ut in sancta sollempnita-
te in populo christiano ad
unum dominum pertinentes a-
lii inebrientur: alii fa-
mis periculo crucientur.
Et nos et omnis populus u-
nius domini servi sumus: +
pari condicione in hunc
mundum intravimus: simili
exitu migraturi sumus.

+ uno pretio redempti sumus.